



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

62. An consecratio Episcopi possit fieri quocumque die festivo? Et quare consecratio Episcopi præcipuè efficiatur in die Dominico? Ex p. 12. tract.
1. resol. 62.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

irrijo, y nulo: mas aquellos ciertos han de entender de la Ordenacion ilegitima, como declara *Hugolino*, o de han de entender, no de los Ordenes sino, de la honra dellos, o del Sacerdocio, como dize *Suarez*.

RESOL. LXII.

An Consecratio Episcopi possit fieri quocumque die festiuo?

Et quare Consecratio Episcopi precipue efficitur in die Dominico? Ex p. 12. tit. 1. Ref. 62.

§ 1. **A**ffirmationem sententiam tenet *Salzadus in pract.* *Bernardus Diaz cap. 26 §. ad Episcoporum*, *B.P. Bernal. de Sacram. dist. 49. sect. 3. n. 18.* putat enim quod ordinatio Episcopi potest fieri die Dominico vel festiuo quocumque, idem docuit *Isambert. in 3. part. D. Thom. de Sacramento Ordinis. dist. 1. art. 3. n. 6.*

2. Sed falluntur *Viri Docti* ita absolute loquendo, nam non potest Episcopus consecrari in quocumque die festiuo, nisi ex speciali Summi Pontificis licentia, ut patet ex praxi communi, & Pontificali Romano, ubi sic habetur *fol. mibi 75.* (Statuta die consecrationis, quae debet esse Dominica, vel natalitium Apostolorum, vel etiam festiuo, si Summus Pontifex hoc specialiter indulerit: & tam Consecrator quam Electus conueniens est, ut praecedenti die ieiunent. Ita ibi, & ideo *Pax Iordanus Episcopus Tragurienfis, tom. 1. lib. 1. tit. 2. num. 6.* sic ait, Consecratio non potest fieri quacumque die, sed tantum infra notandis, ex quo differt a Consecratione Ecclesiarum, & Altrium, quae permittitur absque differentia dierum, dicitur sub proprio tit. In primis fieri potest die Dominico, *cap. Qui in aliquo, dist. 5. 1.* & ibi *Gloss. (Dominica) cap. quod die dist. 75.* quod etiam videatur loqui de sola Dominica Resurrectionis; attamen capitur pro quacumque Dominica, quia praeter alia Mysteria, collitur in ea memoria Dominicae Resurrectionis, & colligitur ex eodem textu; & clarius ex *cap. Sabbato de Consecrat. dist. 3.* & notat *Augustinus Barbosa de offic. all. Episc. 1. n. 43.* post *Henricum in Sum. lib. 9. cap. 25. §. 1. in comm. lit. D.* Et quod hac die sit permittitur Consecratio habetur etiam, in Rubrica Pontificali de huiusmodi Consecratione, similiter in Natalitiis Apostolorum, ut in eadem Rubrica.

3. In reliquis vero diebus Festiuis non aliter fieri permittitur, quam de speciali concessione Summi Pontif. iuxta eandem Rubr. & pluries in facto expertus sum. Ita *Iordanus*, & ante illum *Sanchez in Opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 15. num. 11.* & alij penes ipsum.

4. Sed si aliquis quærat hic obiter, quare Consecratio Episcopi precipue efficitur in die Dominico, sic respondent *Stanislaus Socolouius orat. 4.* Et pronubi quidem nostrorum nuptiarum sunt hi; Circumstantia autem illæ. Tempus quidem Dominici diei hora tertia, idque vetustissimo more. Solam enim maiores nostri, inquit *Sacer. Leo*, resurrectionis Dominicae diem eo honore dignam iudicauerunt; ut Sacerdotes, qui sumantur, hoc die potissimum consecrentur: nam quicquid est à Dominico insignis constitutum; in huius diei dignitate est gestum. In hac mundus sumpsit primum exordium: in hac per resurrectionem Christi, & mors interitum & vita accepit initium: in hac Apostoli à Domino prædicandi omnibus gentibus tubam somunt, & in ferendum vniuerso mundo Sacramentum regenerationis accipiunt: in hac congregatis in vnum discipulis, Dominus dixit: *Accipe Spiritum sanctum*, quorum remisistis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt: in hac denique promissus à Domino Spiritus sanctus

aduenit & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & ceperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat loqui illis. Ut caelesti quadam regula infusum, & traditum nouerimus, in illa die celebranda nobis esse mysteria Sacerdotium benedictionum in quo collata sunt omnia dona gratiarum.) Ita ille.

RESOL. LXIII.

Quare Consecratio Episcopi non ministratur die Sabbathi, ut ministrantur ceteri Ordines? Ex part. 12. tract. 1. Ref. 63.

§ 1. **E**X hoc aliqui conserunt Episcopatum non esse Ordinem, ut feruat *Mercer. de Sacram. 4. 40. art. 5.* & alij, sic enim argumentabantur: maiores Ordines non conferuntur, nisi in Sabbathis; Episcopatus tantum in Dominicis, vel ut supra: Ergo Episcopatus non est Ordo maior. Sed falluntur, ut supra probauimus. Dico igitur cum *Mercero*, ubi supra, Quod ad sus positum spectat determinate tempora Ordinationum: conuenienter autem Ecclesia assignat dominicam Episcopatus conferendo, quia est Ordo summus. Hinc & *Hosien. notat. Campanian. Diar. Iur. Can. Rub. 6. cap. 4. num. 4.* quod alios Ordines ministrantur in die Sabbathi, Episcopatus in die Dominica, quia sicut vigilia seruit festo, ita factis insigni seruiunt Episcopo. Nota verò cum *Pace Iordanus tom. 1. lib. 5. tit. 1. num. 34.* Quod si quis consecratur aliis diebus, quamvis reciperet Characterem, remaneret tamen suspensus ab executione, prout regulariter cauetur de aliis ordinibus, *cap. consultatione de temporum ordinat. Hosien. in sum. d. tit. de Sacram. vñ §. à quo num. 1.* *Butt. in cap. omnia eiusdem tit. in part. lectura. n. 7.* & alij. Bene verum est quod in casu isto non fieret de necessitate suppletio, sed satis esset Apostolica dispensatio, ut prædicti testantur.

RESOL. LXIV.

Quo loco, & hora debeat fieri Episcopi Consecratio? Difficultas tamen est, an si Papa committat Consecrationem fieri in aliqua Ecclesia, possit fieri in alia? Ex p. 12. tit. 1. Ref. 64.

§ 1. **Q**uoad locum assero Consecrationem facientem esse in Ecclesia, quae quidem in Vibem eligitur ad libitum Consecratoris. Extra Vibem vero in propria Ecclesia promoti, vel saltem intra Prouinciam, si commodè fieri possit *Trident. sess. 23. de reform. dist. cap. 2. & Pont. Rub. sup. dicta.* Nota verò locum non esse de essentia consecrationis, quae non est de essentia aliorum Sacramentorum, neque Ordinum, ut rectè obseruat *Sanchez Opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 15. num. 10.* quibus adde *Zoellium in Decret. d. 1. tit. 1. num. 12.* ubi sic ait, Consecratio (si extra Romanam sicut Curiam) celebranda est in ipsa Ecclesia ad quam quis est electus aut saltem in Prouincia, si commodè fieri possit. *Trident. dist. cap. 2.* Metropolitani, siue Archiepiscopi Consecratio requirit omnium suffraganeorum praesentiam *cap. 6. h. 1.* Episcopi ordinandi sunt ab Archiepiscopo; & duobus, aut tribus comprovincialibus per Archiepiscopum requisitis aliorum accedente consensu, *cap. 7. h. 1.* Si in Prouincia defint ex vicina aduocandi, *can. Episcopus, d. dist. 23. & can. fin. dist. 75.* Ita *Zoellius*. Sed *Zerola in pract. part. 1. verb. Consecratio Prælatorum ad 3.* obseruat quod hodie tam Archiepiscopi, consecrantur vbi-
cunque eis placuerit.

2. Difficultas